

atque supremum imperativum morale constituit. *

* Quibus argumentis universalem legis illius auctoritatem contra gravissimos Aeneidemi aliorumque Scepticorum insultus defendant; illi viderint, qui cum Kantio omnem de existente DEO persuasionem non ab originaria rationis nostrae forma (posit. 14. *), sed a specifico primum illius effectu, practica scilicet virtute derivant.

XXX. Existencia *libertatis absolutae* postulatum est cum facultate moralitatis tam necessario connexum, ut absque eo factum originarium conscientiae nostrae moralis subsistere haud posset. Corruunt ergo systemata *Fatalismi mechanici, animalis et sensitivi*, quae passim experientiae contradicunt, moralitatem vero omnem tollunt. Corruunt quoque et componuntur inextricabiles lites *Deterministas* inter et *Aequilibristas*, quas ratio speculativa limitum suorum ignara ex importuno sciendi pruritu ad proprium forum coegit, quo non poterant pertinere.

XXXI. Stabilitis regula moralitatis absoluta et animi libertate, *finis* quoque inquirendus est, ad quem homo, si rationi conformiter